



**Quæstionum Canoniarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. IV. De imepdimento ex Presbytericidio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

quã movetur disponens, sed etiam ex voluntate disponens; ergo ex hoc, quod Legislator exprimat in aliquo casu, se tali actui, propter talem causam, statuere penam, non rectè sequitur, quod velit eandem in actu simili, similitudine cause; cum stante in tali actu eadem ratione possit in legislatore non esse eadem voluntas, si vel in levi circumstantia dissimilentur: consequenter non rectè arguitur statim in utroque identitas voluntatis, ut diximus alibi n. 496. & 598. quo posito:

1943. R. idem omnino etiam de *Viricidio* dicendum in hoc casu, quod de *Uxoricidio*; non quidem ob identitatem rationis, etiam in correlativis, quando sumus in penalibus, & odiosis, ut dictum est: præsertim cum non sit eadem omnino ratio in sceminiis *Viricidis*, ut ostendit Sanchez *cit.* sed quia Legislatores statuentes penam, quã reus cædis privatur spe conjugij in futurum, satis expresserunt, se illam statuere *conjugicidio*, præscindendo, an sit cædes uxoris, an viri? id, quod rectè probatur ex c. 1. de *divort.* ibi: ipsa autem *insidiatrix*, penitentia subjecta, *absque spe conjugij maneat*; quo satis ostenditur, Ecclesiam metu hujus pœnæ, in uxoribus non tantum cædem, sed etiam machinationem in cædem viri cœcere; & si fiat, punite voluisse, privatione spei matrimonij deinceps licite celebrandi; In c. *Indignantur cit. in n. 1441.* nihil habetur in favorem sententiæ affirmantis. Nam ibi solum dicitur, *viros adulteros non rectè indignari, si audiant, se, & adulteras feminas similes pœnas pendere* V. dicta in simili in præcedentibus.

§. IV.

De impedimento ex Presbytericidio.

1944. Ex occisione Presbyteri, seu interfessione Sacerdotis (intellige injusta) jure antiquo nascebatur impedimentum, interfectoris, matrimonium cum alijs perpetuo impediens, si de tali cæde *convictus* fuit, ut habetur in c. 2. de *Penit. & remiss.* ibi: *qui presbyterum occiderit, convictus, usque ad ultimum vitæ spiritum absque spe conjugij maneat.*

1945. Quæstio est, an ad incurrendum hoc impedimentum sufficiat, quod interfector de hoc sit convictus in foro penitentia? v. g. confessione propria. Affirmativam

Tom. I.

sequitur Rosella, Sylvester, Armilla, & plures alij apud Sanchez l. 7. hic d. 6. n. 9. qui merito tanquam probabilius tenet, desiderari, quod sit *convictus in judicio contentioso*. Nam in *cit. c. 2.* expressè desideratur, quod sit *convictus*: sed in foro penitentia Sacramentalis non datur *convictio*. Nam in hoc foro nullus est testis, vel accusator externus; quod tamen requiritur, ut reus dicatur *convictus de crimine*, ut notat Pereyra in *Elucidar. n. 1212.* & alij ibid.

§. V.

De impedimento ex matrimonio cum Sanctimoniali.

In c. *Hi ergo. 27. q. 1.* dicitur, *qui Sanctimonialibus, scientes matrimonio, ad injuriam Christi, copulati sunt, juxta censuram Zeli Christiani sepaventur; & nunquam eis concedatur conjugali vinculo religari.* Ex quo textu clarè sequitur, sermonem hic esse de matrimonio solius *fæcti*; nam matrimonium inter monialem, & virum, sive regularem, sive secularem (seclusa dispensatione Papæ) propter solenne castitatis votum, *de jure* consistere non posse constat ex c. *meminimus 3. quæ Clerici vel vorventes. & c. unic. de voto in 6.* ut constat ex dict. à n. 971. Et quamvis dictum c. *Hi ergo*, sit solum ex Concilio Triburiensi, c. 6. ab universali tamen Ecclesia receptum fuit: sequitur. 2. talem virum (etiam secularem) incurere ex tali matrimonio impedimentum perpetuo impediens matrimonium cum alijs, per num. præsentem, ibi: *nunquam.*

§. VI.

De impedimento ex susceptione propriæ Sobolis de sacro fonte.

In c. *de eo. 30. q. 1.* dicitur, quod sine 1947. spe ulterioris conjugij debeant remanere conjuges legitimi, si unus eorum, aut ambo, *ex industria* (nimirum causa divortij, prætendendo cognationem spirituales) filium solum de fonte susciperent. Ex hoc textu sequitur, hoc impedimentum non incurri a conjugibus, suam propriam sobolem baptizantibus, vel de sacro fonte suscipientibus, *in casu necessitatis, aut ex ignorantia*, ut diximus num. 1110. sed solum cum id faciunt *ex industria, in fraudem* sui matrimonij, vel

Ppp 2